

2. Ostenduntur variæ species lapidum ex aquis, thermis, in speluncis subterraneis, & ex aqua stillaticia generatorum, nec non ligna in lapides mutata.

3. Crystallus montana seu Qvarz/ item Drusen/ producuntur diversissima, tam ratione colorum rubicundi, purpurei, obscuro-flavi, amethystini, virides, cœrulei ; quam ratione figurarum, ubi vel pyramidalem, vel nitriformem, vel cubicam, vel sexangularem, octoedricam, planiformem, conicam, exhibent.

4. Eadem ratione lapidum species innumeræ tam nobiliorum, quam ignobiliorum producuntur ; item lapides in variis animalibus geniti nec non mineræ succini.

5. Item curiosæ sunt adspectu variæ species marmorum, tam Florentini, quam aliorum locorum, colorum varietate variaque figura rerum, quas exprimunt, delectabiles : Item lapides scissiles Islebienses, Ilmenavienses merentur perlustrationem, in quibus pisces distincte sunt expressi & figurati.

6. Consideratione quoque digna sunt varia cornua, dicta Ammonis, varia structura, armatura, curvatura ornata, coloris albi, grysei, ferruginei, quorum nonnulla de marte participant.

7. Referendi quoque huc sunt lapides figura admirabiles, conchites, ostreites, strombites, cochleites, ammonites, astroites, entronchi, pisolites, ceraunei, glossopetræ, flores æris, variæ talci species, lapilli conchulas plures continentes, stalachites varii ; item qui caryophyllum exprimunt, tesseræ lusoriae è terra erutæ, conchiæ bivalvules lapideæ, muscus petrefactus & lapides variii tophacei, item marochtas ætites lapis Meganicus.

8. Spectant huc quoque dentes variorum animalium marinorum ; item molares, nec non grandiorum animalium